

dimentorum porro dispensationem, ubi haec possibilis sit, libenter concedet Ordinarius, gratis etiam quando de vere pauperibus agetur.

25. – Quoad illos qui, concubinato irretiti, matrimonio iungi minime possunt, eo quod, v. gr. alias nuptias in facie Ecclesiae iam contraxerint, parochi, qui vero animarum zelo flagret, media non deerunt, quibus vetitam unionem dissolvat, pristinam autem eamque legitimam instauret.

De privilegiis Indigenarum magis in particulari haec Synodus statuit sequentia:

a) – Quandocumque agatur de baptizando Indigena adulto, parochus consulat Ordinarium, informans eum super gradu instructionis eiusdem circa veritates fidei. In casu urgenti, uti in periculo mortis, et ubi agatur de prorsus rudibus, antequam illos baptizent, summarie explicent quae sunt necessaria de *necessitate medii*, id est, de SS. Trinitate et Incarnatione, iuxta libellum, quod Synodus haec in lucem edi curabit; excitent autem eos imprimis et instruant ad eliciendum praeve actum contritionis, vel saltem attritionis.

b) – Relate ad baptismum parvulorum, contra voluntatem genitorum, etiam quando eorum alter, seu avi, eos baptizari velit, (excepto si parvulus iam proximus morti sit, et tunc utique baptizari debet) nihil agant, quin praeve consilium petant ab Episcopo proprio, eiusque resolutionem in scripto recipiant.

c) – Quamvis S. Sedes Indis concesserit, ut ope interpretis utantur pro confessione, parochi nostri satagent, quantocius addiscere linguas quibus fideles paroeciae utantur. Et hoc studium illos maxime commendabit Ordinario, ubi agitur de promotione ad meliora.

d) – Cum Indi gaudeant privilegio satisfaciendi praecepto paschali, a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Corporis Christi inclusive: curent parochi intra istud tempus percurrere diversa loca paroeciae, in singulis habendo missionis exercitia, ita ut omnibus occasio detur digne satisfaciendi Ecclesiae praeceptis.

e) – Severe prohibetur, ne quidquam a fidelibus exigatur pro administranda confessione, sub poena a SS. Canonibus statuta. Et ut Indigenae sint bene praeparati ad confessionem, in singulis locis eligantur una vel plures personae, quae instructione et vita christiana tales sint, ut illos instruere valeant. Item prohibetur parochis ne exigant Indigenas graviter decumbentes ad templum perferri, ut ibi auxilia spiritualia recipiant.

f) – Statim ac vocetur parochus ad confessionem Indigenae cuiuslibet infirmi, diu noctuque quacunque hora, ad audiendam illam se accingat, non manifestando impatientiam aut irritationem: et Viaticum illis administrent, quantumvis angustus sit aut pauper locus, in quo degunt.

g) – Debent etiam parochi extra tempus paschale, facile se praebere Indigenis, quando confiteri cupiunt; et commendent eis frequentiam Sacramentorum, quae plurimum etiam conferet ad eorum mores et vitam christianam et civilem promovendam. Neque omittant eos visitare in suis infirmitatibus, et si in illos graviter decumbentes offenderint, extremam eis Unctionem administrent, et applicent Indulgentiam pro hora mortis.

h) – Cum sublatum fuerit pro Indigenis impedimentum matrimonii ex gradu tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis, non indigent ulteriori dispen-

satione; qualiscunque conditionis fuerint personae, sive pauperes, sive divites, ad matrimonium contrahendum.

i) – A ieiunio dispensantur Indigenae semper, exceptis tantum feriis vi tempore quadragesimali et vigiliis Nativitatis Domini et Resurrectionis: imo neque tunc obligantur, ubi impediuntur ratione valetudinis aut officii et laboris.

l) – Hinc etiam monentur confessarii ut non adeo facile pro poenitentia iis imponant ieiunia (licet prohibere illis possint potum inebriantem) quia exinde illis oriri potest occasio deserendi prorsus confessionem.

m) – Eos qui propter labores summo mane peragendos non possunt tunc accedere ad S. Communionem, moneant sacerdotes sola confessione sacramentali posse obtineri indulgentias tum iubilaei tum alias ex privilegio a S. Sede concessio.

n) – Ad audiendam Missam et ad abstinendam ab opere servili tenentur Indigenae tantum diebus Dominicis, et festis Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi; dein Nativitatis, Annuntiationis et Purificationis B. M. V., atque SS. Apostolorum Petri et Pauli.

o) – Licet cessarit privilegium speciale, ut absolvantur Indigenae a censuris in utroque foro: in virtute facultatum, *Solitae*, Episcopi concedent parochis hanc Indigenis gratiam tribuere.

Pro singulari Dei benignitate Mexicanam regionem hactenus non invasit infanda illa communismi et socialismi doctrina, quae per alias nationes grassatur. Nihilominus officium Pastorum est periculum quodque ab ovili arcere, ideoque:

Quum ad humanae societatis prosperitatem per-

magni sit momenti ut domini et opifices, aequo atque amico foedere inter se vinciantur: cuius mutuae obligationes non solum propter temporalia commoda servandae sunt, verum etiam quod a Deo, omnis iustitiae norma et fonte hominum conscientiae districta lege iudicantur: huius Synodi Patres admonent et praecipunt, ut omnes rite obligationes illas adimpleant, fideliter praestando et exsequendo quaecumque Romanus Pontifex Leo XIII, feliciter regnans, providentissime statuit in Encyclica *De conditione opificum*: quam quidem ab omnibus legi et ad opus deduci vehementer optamus.

Quandoquidem Indi nostri plerique sunt opifices, meminerint, dum labori insudant, se esse christianos. At simul eos, qui Indorum opera utuntur, commoneamus, gravata eorum conscientia, ne obliviscantur se Deo iusto et vindici rationem esse reddituros.

Ecclesiae caritas in omnes homines aequaliter diffusa est, nullo facto discrimine: quia neque coram Deo discrimen est inter illos: quandoquidem Dominus omnium Pater est, qui omnes creavit; omnes etiam pretioso sanguine suo Iesus Christus redemit. Aequa igitur et iusta est lex illa quae, sublata stirpium distinctione, omnibus eadem civium iura concessit. Proinde, qui ingenio, facultatibus et divitiis praevalent, nequaquam licite possunt his abuti in aliorum detrimentum: secus, non tantum in ius naturae et religionem peccarent, verum etiam in ipsam legem civilem, cui obtemperare tenentur.

SCHOLION.

DE CULTU BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE
DE GUADALUPE.

Recensitae hactenus facultates, indulta et exemptiones, perenne sunt monumentum eximiae illius benevolentiae qua Sedes Apostolica gentem nostram fovere dignatur. Ut per hasce dissitas regiones ovile Christi laetis augetur incrementis, Romani Pontifices maioribus usque gratiis cumularunt, tum Episcopos novi gregis pastores, tum lectissimas religiosorum auxiliarium turmas, tum praecipue pauperes istos fratres nostros aborigines, quorum salutem et aeternam et temporalem cordi semper habuerunt. Indos enim utpote miserabiles et in fide parvulos, affectu prosecuti sunt teneriori, memores Apostolici moniti: « Debeamus nos fortiores imbecillitates infirmorum sustinere. » (Rom. xv, 1).

Cui sollicitudini ipsa Coeli Domina exemplo praeiit: quum, in nascentis Ecclesiae huius primordiis, regionem nostram dulcissima sua praesentia illustravit, ut perhibetur, et aborigines inaestimabili augens privilegio, se matrem ipsis fore pronuntiavit. Et re quidem vera, ex hac apparitione rerum faciens mutata est, misera daemonis mancipia, quae sedebant in tenebris et umbra mortis, ad lumen fidei et filiorum Dei libertatem certatim accesserunt. Per omnem deinceps aetatem, auspice Virgine de Guadalupe, incolumis stetit religionis integritas. — Hinc factum est, ut pia Mater Ecclesia cultum illum coelestis Patronae nostrae ampliare satageret liberalitate inexhausta.

Quae omnia dum animo revolvimus, non possumus quin oculos et corda convertamus ad Sedem Petri, ex qua per tria saecula tot nobis bona obvenerunt. Ex intimo cordis sensu, tum omnibus Romanis Pontificibus gratias rependimus, tum illi praecipue qui hodie Ecclesiam mirabili prudentia lumine et virtute gubernat.

Hac itaque faustissima die, recurrenti iam quinquagesimo anno ex quo immortalis Leo XIII ad plenitudinem sacerdotii evehctus est, dum totus orbis terrarum plaudit et prae laetitia gestit, Nos, Metropolita et Suffraganei Episcopi Antequerenses acclamantibus simul nobiscum Conciliariis Synodalibus, in solemnem observantiae devotionis amoris testificationem, glorioso Pontifici dicamus praesentem sessionem extra ordinem indictam; eamque coronidis loco, sequenti decreto absolvimus Deiparam Virginem enixe deprecantes, ut Leonem XIII a quo tantam accepit honoris accessionem, ipsa vicissim protegat servetque ad multos annos incolumem.

DECRETUM

De antiqua et sancta appellatione Beatae Mariae Virginis de Guadalupe, quae felicissimo Neophyto Ioanni Didaco, anno millesimo quingentesimo trigesimo primo, in colle Tepeyacensi prope Mexicum illutrem civitatem, apparuisse fertur, et cuius imago, mirabiliter picta et ineffabili pulchritudine fulgens, eodem in loco ubi aedem sibi sacram designasse, Virgo tenerrima dicitur, magnifico templo excepta est atque ingenti colitur devotione et populorum frequentia; Concilium hoc Antequerense primo declarat:

I. — Mirandam illam apparitionem, quamvis mysterium vel fidei dogma non sit, attamen inter vana hominum commenta, vel fabulas, vel idololatricas verusitas et superstitiones, minime esse adnumerandam, sed ut antiquitus probatam, omnique fide dignissimam, (quippe quae traditione nunquam interrupta validisque monumentis fulcitur) esse recipiendam ac venerandam.

II. — Adeoque patere huius mirabilis facti veritatem historicam, in tantum ut omnes Episcopi, uterque clericus saecularis et regularis, universi fideles, uno ore a Sede Apostolica enixe impetraverint, ut ipsa Beatissima Virgo de Guadalupe totius Ditionis simulque Ecclesiae Mexicanae Patrona Principalis cooptaretur; sicuti, habita prolixa et prudenti disquisitione, a Sapientissimo Pontifice Benedicto XIV felicitis recordationis declaratum fuit, qui etiam proprium Officium Missamque sub ritu primae classis cum integra octava benigne indulsit.

III. — Sanctitatem suam Leonem XIII nunc temporis gloriose regnantem, Mexicano Metropolitae peramanter concessisse facultatem impertiendi populo Apostolicam benedictionem et indulgentiam plenariam ex thesauris Ecclesiae largiendi, in eadem B. M. V. de Guadalupe Basilica, ipsaque die duodecima Decembris vel eius octava ad perpetuam venerandae traditionis memoriam. Praeterea potestatem fecisse ut inibi erigatur Archiconfraternitas B. M. V. de Guadalupe et Scapulare, cum gratiis, indulgentiis et privilegiis et cum facultate aggregandi alias eiusdem speciei confraternitates, per totam Reipublicae Mexicanae ditionem.

IV. — Insuper eundem Romanum Pontificem, novis Praesulum Mexicanorum precibus animo promptissimo annuentem, Virginis Effigiem, prodigiis et cultu

percelebrem, aurea corona, suo ipsius nomine et auctoritate, decrevisse solemniter ritu condecorandam.

V. — Ne quis unquam in hac provincia, quod maxime dolendum esset vel imprudentiae, vel temeritatis, vel audaciae, vel scandali atque impietatis causa, a supremo sanctae Matris Ecclesiae oraculo redarguatur, vel summopere reprehendatur, eius agendi loquendique modus contra miraculum seu apparitionem Beatae Mariae Virginis de Guadalupe; hoc primum Antequerense Concilium omnino vetat ne quid in contrarium loqui scribere vel docere ullus praesumat. Imo vero omnes sacri cultus ministros vehementissime commonet, ipsisque simul praecipit ut ferventissimum amorem et gratissimam pietatem erga praecelsam Patronam et tenerimam Mexicanorum Matrem totis viribus inter fideles fovere conentur.